



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

Lampsacenvm Conciliablvvm Semiarianorvm Adversvs Arianos
Celebratvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

ANNO CHRISTI 363. Deum Patrem omnipotentem. & quæ sequuntur Nicæni
Symboli confessionis.

Ego Meletius episcopus Antiochiæ, ea quæ supra scri-
pta sunt, fateor me approbare. Ego Eusebius Samosata
episcopus eodem modo. Euagrius item Sículus, Vranus
Apameæ, Zoilus Larissæ, Acacius Casareæ, Antipater
Rosli, Abramius Vrimum, Aristonicus Seleucopolis,
*Maris. Barlamente Pergami, Vranus Melitina, *Magnus Cal-
chedonis, Eutychie Eleutheropolis, Isaacos Armeniæ
maioris, Titus Bostrorum, Petrus Sypporum, Pelagius
Laodiceæ, Arabianus Antri, Pifso Adanorum per Lamy-
drionem presbyterum, Sabinianus Zeumatis, Athana-
sius Ancyra per Orphitum & Aetium presbyteros, Ire-
nio Gaza, Pifso Augusta, Patricius Palti per Lamydri-
onem presbyterum, Anatolius Berœensium, Theotimus
Arabum, Lucianus denique Areorum episcopus. Hunc
libellum in Sabini libro, qui, Collectio rerum in Concilio
actarum, inscribitur, inuenimus.

Episcopi
qui inter-
fuerunt Con-
cil. Antio-
cheno.

L A M P S A C E N V M
C O N C I L I A B V L V M

SEMIARIANORVM

ADVERSVS ARIANOS CELEBRATVM.

NOTA.

ANNO CHRISTI 364. * *Lampfacenum.*] Lampfacus est vrbs in angusto Helleponti
finu posita. Socrates lib. 4. cap. 4. Hoc loco indictum est Con-
cilium anno Christi 364. quando Valentinianus per legatum Hypa-
tianum Heracleæ episcopum ad Synodum indicendam sollicita-
tus, præclarum hoc responsum dedisset : *sibi qui vnus e laicorum
numero erat, non licere se eiusmodi negotiis interponere. Et ideo sacer-
dotes & episcopi, inquit, quibus hac cura sunt, seorsum per se, vbi-
cumque ipsis libitum fuerit, in vnum conueniant. Quo responso ad le-
gationem Hypatiani dato, Lampfaci Concilium cogunt.* Hæc Sozo-
menus libro 6. cap. 7. Quod ibidem ait, episcopos catholicos con-
substantialitatis assertores imperatorem de hac Synodo indicen-
da sollicitasse, adeoque Concilium catholicum fuisse, non tan-
tum ex actis huius Concilii, sed etiam ex 72. & 82. epistolis sancti
Basilii constat, vbi Lampfacenam confessionem inter eas enume-

Locus Con-
cilii.

Concilium
hoc non est
catholicum,
sed repro-
batum.

Cur quidā
catholicum
fuisse puta-
runt.

Basil. inter-
fuit.

Acta & de-
creta Con-
cili.

Heretici si-
mulatione
fidei catho-
licæ & Ni-
cænæ, com-
munionem
Liberii, &
pristinam
dignitatem
aucupantur.

rat, quæ ab hæreticis diuersis in locis editæ fuerunt. Sozomenus, aliique plures putantes hoc catholicum fuisse Concilium, errandi occasionem inde accepisse videntur, quod eos qui horrendas Arianorum blasphemias in Constantinopolitano Conciliabulo per Eudoxium & Acacium editas, execrarunt & condemnarunt, catholicos fuisse existimauerint. Sanctus Basilius epistola 79. confitetur, se cum aliis episcopis fortasse catholicis vocatum, huic Conuentui interfuisse. Neque tamen argumentum hoc sufficit, ut prudens aliquis Lampsacenam Synodum ideo catholicam fuisse affirmet. Quid in hoc Concilio actum constitutumve fuerit, Sozomenus libro 8. capite 7. enarrat his verbis: *Decernunt Acta Constantinopoli, opera ac studio Eudoxii & Acacii cum suis sancta, abroganda esse. Et paulo infra. Porro formulam fidei in consecratione ecclesie Antiochena editam, & Seleucia omnium episcoporum consensu confirmatam, in omnibus ecclesiis tenendam. Quin etiam, ut ij, qui ab iis, qui Filium Patri dissimilem assueverant, abdicati essent, suas ipsorum sedes, utpote ecclesiis per nefas eiectioni, denuo reciperent.* Socrates libro 4. capite 4. eadem breuius enarrans, inquit: *Rursus contra Acacium & Eudoxium, utpote iure abdicatos, tulere sententiam. Ex iis, quæ paulo post subiungit, Eleusium Cyzici episcopum dogma illud, quod a Macedonio eius auctore nomen inuenit, quodque in Lampsaceno Concilio multo evidentius omnibus patefactum fuit, propugnasse: illudque Concilium causam fuisse, cur Hellepontus tanta Macedonianorum frequentia abundaret; ex eo sane manifestissimum est, hoc eodem Conciliabulo Spiritus sancti diuinitatis negationem a Semiarianis, ex sententia Macedonii, additam fuisse. His peractis, statuta Synodi per Eustathium Sebastenum, Theophilum & Siluanum legationis munere functuros, occidentalis ecclesie episcopis, ac præcipue Liberio Romano pontifici per synodicas significarunt. Ut vero eiusdem pontificis atque catholice & orthodoxe ecclesie communionem aucuparentur, sedes suas, quibus iuste priuati erant, recipere possent, simulantes se catholicos, fideique Nicænæ obseruantissimos esse, fidei suæ libellum, quem recitat Socrates lib. 4. cap. 11. Pontifici offerunt. Quod cum fecissent, non tantum communicatorias a Pontifice aliisque episcopis epistolas impetrarunt, sed etiam alias acceperunt, quibus auctoritate apostolica præcipiebatur ut iidem, qui ante sedibus suis expoliati fuerant, post habitam catholicæ fidei professionem suis ecclesiis restituerentur. His impetratis, quid egerint, dicemus sequentibus Conciliis. Epistola Liberii pacifica, est XI. inter epistolas eiusdem Liberii supra positas.*

ANNO
CHRISTI
364.

ANNO
CHRISTI
364.